

2^o Per *cessationem causae motivae adaequatae*, seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; cessante enim causa legis, eam urgere legislator rationabiliter nequit.

3^o Per *desuetudinem*, seu per *consuetudinem contrariam* debitam vestitam conditionibus; tunc enim Superioris consensus saltem legalis accedit. — *Ita communissime.*

QUAER. 1^o *An cesset lex cessante causa finali in casu particulari tantum, id est respectu aliquot personarum?*

Resp. Neg., nisi servari sine gravi incommodo non possit; ratio, quia finis legis adaequatus respicit ea, quae communiter contingunt, non vero casus particulares; non ergo hi obstant, quominus finis legis atque adeo lex ipsa perseveret. Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum. — Suarez, Laymann, et S. Lig. n. 199.

QUAER. 2^o *An possit quis libros prohibitos legere, si nullum ex iis sibi periculum pertimescat?*

Resp. Neg. ob rationem modo allatam; insuper adde hallucinationis periculum. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 199. — V. Cas. n. 109. et seq.

PARS SECUNDA

DE SPECIEBUS PRAECIPUIS LEGUM

Agendum 1^o de lege naturali et divina; 2^o de lege ecclesiastica et civili; 3^o de lege poenali et irritante; 4^o de lege non scripta, seu de consuetudine; 5^o de lege favorabili.

CAPUT I.

DE LEGE NATURALI ET DIVINA

ARTICULUS I. — DE LEGE NATURALI

122. — Lex naturalis est divina voluntas, naturali lumine manifestata, praecipiens ea quae ad rectum ordinem servandum sunt necessaria.

Hinc lex naturalis nihil aliud est, quam lex aeterna naturae rationali per lumen naturale intimata, sive habitualiter per rectam rationem, sive actualiter per eius dictamen.

Obiectum legis naturalis est id omne, quod rationali naturae ita vel convenit, vel disconvenit, ut ab ipsius naturae Conditoris praecipii vel interdicti necesse sit: omnia ea videlicet amplectitur, quae legi aeternae sunt conformia (1). — Hinc versatur lex naturalis 1^o circa prima morum

(1) Duplex naturalis legis obiectum dicitur: materiale et formale. Materiale complectitur principia omnia honestatis sive primaria sive secundaria, quae

principia, v. gr. *bonum est faciendum; malum est vitandum; alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*; 2^o circa principia secundaria morum, sive immediatas primorum principiorum conclusiones, ut sunt pleraque praecepta Decalogi; 3^o circa conclusiones mediatas, vel magis remotas.

123. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An obiectum legis naturae interdum ignorari possit?*

Resp. 1^o *Primaria* morum principia a nemine ignorari possunt. — 2^o *Item* conclusiones proximae, ita ut in iis dari non possit ignorantia invincibilis, nisi vel raro, vel ad breve tempus in rudibus et pueris. *Ita communiter.* — 3^o Ignorari autem possunt et saepe ignorantur conclusiones remotae. Hinc circa eas tot controversiae inter Doctores etiamnum agitantur. — S. Lig. n. 170. et seq.; *de Consc.* n. 8.

QUAER. 2^o *An dari possit ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo qui cognoscit malitiam actus?*

Resp. Neg. saltem quoad desideria efficacia. Ratio est, quia velle quod malum est formaliter, et quidem cognitum ut tale, est velle quod Deo displicere noscitur, et proinde est velle ipsi displicere. Difficile autem est ignorari malitiam actus, quo quis se Deo displicere noscit. — S. Lig. *de Consc.* n. 9. etc. (2).

a primariis deducuntur proxime vel remote; quae tamen, velut ad supremum principium, reducuntur ad illud: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum.* Non tamen eodem modo obiectum legis naturalis sunt bonum et malum. Nam quidquid est malum per se et independentem a lege positiva, lege naturali prohibetur: at non vicissim praecipitur quidquid est bonum, sed solum illi boni actus praecipiuntur, quos necessario exigit hominis conditio secundum triplicem respectum, quem habet, ad Deum scilicet, ad se ipsum, et ad proximum.

Obiectum vero legis naturalis *formale* non quidem in convenientia cum natura rationali, non in perfectione eidem naturae debita, quae ideo quaerenda sit, neque in necessitate quadam aut convenientia cum felici statu naturae humanae sive in individuis, sive in societate debet reponi; *sed in ratione praeccepti a Deo hominibus impositi*; adeo ut dictamen rationis haberi debeat tanquam promulgatio divinae ordinationis, seu signum divinae vo-

luntatis aut praecipientis aut vetantis. Unde illud S. Anselmi: *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat.* Quocirca concinne ac proprie definitur lex naturalis: *Iudicium intellectus de voluntate Dei ut supremi naturae gubernatoris, mala vetantis ac bona praecipientis.*

(2) S. Alphonsus (l. c.) oppositam doctrinam tribuit Sanchezio, et Carden., imo etiam Granado, et Croix, ut habent. Editt. 1748. et 1757. — Sed reipsa alia est quaestio, quam agitat S. Alphonsus, alia, quam tractant citati Auctores.

Quaestio a S. Doctore fit (Lib. 1. n. 9.), *An dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo, qui cupit aliquid patrare malum, puta fornicationem, iudicans per errorem, solum desiderium fornicandi non esse mortale, si fornicatio de facto non sequatur.* Et subdit: *Affirmant id ut probabilius Sanchez et Cardenas, (in aliis edit.) Granad. et Croix.*

Verum isti AA. quaestionem ponunt tan-

QUAER. 3^o *An lex naturalis sit mutabilis?*

Resp. Neg. Etenim cum id iubeat aut prohibeat, quod natura sua bonum vel malum est, plane consequitur, non modo a creaturis, sed ne ab Auctore quidem naturae legem naturalem immutari posse (3).

Nec dicas, 1^o Deum pluries immutasse legem naturalem, v. gr. permittendo polygamiam Patriarchis, furtum, divortium Hebraeis, etc. Nam in praefatis exemplis mutata non lex naturalis est, sed tantum circumstantia materiae; unde factum est, ut id, quod per se recto ordini adversabatur, ob novas circumstantias iam non adversaretur.

Nec dicas, 2^o quasdam esse materias, quae mutationem subeant, v. gr. copulam carnalem, quae adversatur iuri naturali inter solutos, non vero inter coniunctos legitimo matrimonio; nam ius naturale ideo prohibet copulam extra matrimonium, quod eius finis legitimus tunc deficiat.

Aliqui tamen distinguunt legem naturalem *strictam*, seu omnino immutabilem, ut v. gr. quae prohibet blasphemiam, et aliam *latam*, quae mutatis circumstantiis potest mutari, uti v. gr. quae prohibet proximi occisionem. Ita Voit, n. 534. Alii autem hanc distinctionem reiiciunt.

tummodo hypotheticam, *an is peccaret*, qui invincibiliter ignoraret, suum desiderium esse illicitum etc. Ita Sanchez (*In Dec. Lib. 1. Cap. 46. n. 16. 17.*) quaerit, *An invincibiliter ignorans actum internum esse peccatum, cognoscens tamen actum externum esse peccatum, excusetur a culpa, solum actum internum admittens; ut si rusticus a viro extimato docto ac pio audiisset, fornicationem et furtum externa esse peccata, at licere fornicandi aut furandi desiderium.*

Et Croix (*Lib. 1. n. 34.*): *Quaer. 6^o. An peccet mortaliter, qui invincibiliter putat, actum internum non esse malum, et tamen cognoscit, obiectum talis actus esse malum?*

Ergo Sanchez et alii non quaerunt, utrum detur error *invincibilis* circa malitiam pravi illius desiderii (quae est quaestio a S. Alphonso proposita), sed utrum, *supposita tali ignorantia*, rusticus peccet *materialiter*, an *formaliter*. Quinimo La Croix (*ibid. n. 35.*) expresse monuerat, disputari solum hypothetice, et hypothesim

vix esse de re possibili. Ita ille: *Loquor ex supposito, si daretur talis casus; nam forte est impossibilis.*

Quod vero tantisper mirum videbitur, S. Alphonsus in *Edit. an. 1748. et 1757.* prope eodem modo ac Sanchez et Croix quaestionem sic proposuerat: *Quaeritur an peccet formaliter, qui desiderat committere aliquod malum, nempe fornicationem, putans per errorem, solum desiderium fornicandi sine effectu non esse peccatum.* Verumtamen 1^o in proponenda quaestione omittit illud *invincibiliter*, quod habent Auctores, quos impugnat; 2^o etiam hic omitta quaestione hypothetica, de qua illi Auctores agebant, contra eos pugnat, quasi absolute de hypothesis possibilitate disputarent.

(3) Cum obiectum legis naturalis neque ex toto, neque ex parte possit evadere aut noxium aut inutile; quae duae sunt causae, cur aut penitus abroganda sit lex, aut ei ex parte derogandum; hinc nulla proprie dicta mutatio in lege naturali reperiri potest, quippe quae circa ea versatur, quae intrinsecus sunt bona aut mala.

Quidquid sit, certum est, distinctionem illam cadere saltem in materiam legis naturalis, quae subiicitur dominio Dei, et quae proinde pro variis circumstantiis mutari potest (4).

ARTICULUS II. — DE LEGE DIVINA POSITIVA.

124. — Lex divina positiva duplex est, scilicet vetus et nova.

I. Lex vetus, seu veteris Testamenti, continebat praecepta triplicis generis.

1^o *Moralia*, quae spectabant rectitudinem moralem, et id statuebant, quod lege naturali iam praescriptum erat. Talia sunt Decalogi praecepta.

2^o *Caeremonialia*, quae referebantur ad Dei cultum, et statuebant caeremonias et sacrificia.

3^o *Iudicialia*, quae ad politicam et oeconomicam administrationem, seu ad rectam gubernationem populi pertinebant.

Lex vetus a Christo abrogata fuit, utpote *posita donec veniret semen, cui promiserat*, ut ait Apost. Galat. 3. 19. Sola igitur pars legis veteris, quae ad mores spectabat, in lege nova servata est et confirmata.

II. Lex nova seu evangelica, quae dicitur lex gratiae, vel libertatis, vel novum Testamentum, continet documenta triplicis generis, scilicet 1^o *praecepta moralia* circa virtutes, praesertim theologicas; 2^o *praecepta caeremonialia*, circa Sacramenta et Missae sacrificium; 3^o *mera consilia*, sed magno praemio digna.

Lex nova differt a lege veteri, praesertim in sequentibus: 1^o Vetus fuit umbra et figura; nova est lux et veritas. — 2^o Vetus lex timoris erat; nova vero lex gratiae et amoris est.

Lex vetus dicitur imperfecta, non quidem in se, sed relative ad perfectiorem. Erat enim perfecta in se, cum Deum auctorem haberet, et Deus per illam attingeret scopum, quem sibi praestituerat.

(4) Duplex rerum ordo distinguatur, oportet. Quorum alter ita in ipsis rerum naturis fundatur, ut eum mutare ne Deus quidem possit, nisi dicatur se ipsum negare posse. Eiusmodi v. gr. est creaturae ad Creatorem subiectio, atque adeo servitutis debitum; proinde blasphemia, periurium, etc. non possunt non esse mala, et se ipsum Deus negaret, si hunc ordinem inverteret. At alter ordo est, qui ratione dominii, quod Deo in universas creaturas competit, divinae subest potestati; atque adeo cum non sit absolute necessarius,

potest illum Deus immutare. Exinde cum et vitae et iurium hominis et creaturarum omnium, quas utendas hominibus concessit, Deus sit Dominus; potest ergo Deus de vita, de iuribus, rebusque hominum auferendo, transferendo, etc. disponere, prout ipsi placet; quaevis ergo cessabit malitia in vita aut substantiis alicuius tollendis, si Deus hoc ius alteri potestatemque fecerit. Et hoc quidem est, quod quidam aiunt, Dei voluntate fieri, ut legi naturali materia subtrahatur.

Lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, quibus nota est. Sic enim Christus, Matth. 28. 19. 20.: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc...*, *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*

CAPUT II.

DE LEGE ECCLESIASTICA ET CIVILI.

ARTICULUS I. — DE LEGE ECCLESIASTICA.

125. — Lex ecclesiastica dicitur, quae pro recta Ecclesiae gubernatione et aeterna animarum salute a potestate ecclesiastica fertur.

Collectio variarum legum ecclesiasticarum Ius canonicum constituit.

Corpus Iuris canonici sex constat partibus, tria volumina constituentibus. Sunt autem: *Decretum Gratiani*, *Decretales*, *Sextus*, *Clementinae*, *Extravagantes Ioannis XXII*, et *Extravagantes communes*.

I. *Volumen* continet Decretum a Gratiano, monacho Benedictino, collectum, et anno 1151 publicatum sub titulo: *Concordantia discordantium Canonum*. Opus distribuitur in tres partes, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat, secunda de actionibus seu de materia et forma iudiciorum, et tertia de rebus sacris.

Prima pars dividitur in centum et unam distinctiones, quae subdividuntur in capita seu canones. Sic indicari solet: cap. *Ieiunium* 7. dist. 76.; vel etiam dist. 76. cap. 7.

Secunda pars dividitur in triginta et sex causas; causae autem dividuntur in quaestiones, et quaestiones in capita. Citatur modo sequenti: cap. *Qui viderit* 13. quaest. 5. causa 32.; vel caus. 32. qu. 5. c. 13. tract. *de Poenitentia*, septem habens distinctiones, sic citatur, v. gr. cap. *Mensuram* 86. dist. 1. *de Poenitentia*, vel *de Poenit.*, dist. 1. c. 86.

Tertia pars constat quinque distinctionibus, quae in varia capita dividuntur. Citantur: cap. *Est unitas* 49. dist. 4. *de Consecrat.* vel *de Consecrat.* dist. 4. c. 49. Haec enim pars de consecratione Ecclesiarum, altarium, etc., tractat.

II. *Volumen* continet Decretales a Gratiano omissas, vel post ipsum editas, a S. Raymundo de Pennafort, Ordinis Praedicatorum, iussu Gregorii IX collectas et anno 1230. publicatas. In quinque dividitur libros, qui habent titulos et capita; hoc autem modo citantur: cap. *Pervenit* 28. *de Appellationibus*, vel *Decretal.* lib. 2. tit. 28. c. 28. Caput posteriori hoc modo indicatum multo facilius invenitur.

III. *Volumen* continet librum Sextum, Clementinas, et Extravagantes tum Ioannis XXII, tum communes.

Sextus, vel liber sextus Decretalium, sic appellatur, quia quinque libris

Decretalium Gregorii IX adiicitur, et Decretales a Gregorio IX usque ad Bonifacium VIII. editas habet. Prodiit anno 1298. auctoritate Bonifacii VIII.: dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur, *in Sexto*, vel *apud Bonifacium*.

Clementinae, sic dictae a Clemente V., qui eas colligi iussit post Concilium Viennense, cui anno 1311. praefuit, sunt Constitutiones ab ipso Clemente vel a Concilio Viennensi editae. Eas Ioannes XXII. promulgavit anno 1317. in quinque libris, qui non secus ac Decretales et Sextus, titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur *in Clementinis*.

Extravagantes Ioannis XXII. sunt Constitutiones, quas ipse prioribus annis pontificatus sui edidit. Sic vocantur, quia extra corpus iuris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent: *Extrav. Ioannis XXII.*, tit. 4. c. 1.

Extravagantes communes, ita vocatae quia a Ioanne XXII et a pluribus aliis Pontificibus editae sunt, et ipsae in quinque dividuntur libros, qui habent capita cum titulis, sed non numeratis. Sic ordinarie citantur: cap. *Vas electionis*, *de Haereticis*; *Extravag. communib.* seu *Extrav. comm.* lib. 5. *de Haereticis*, c. 2.

Aliae Conciliorum Constantiensis et Tridentini, ac Pontificum Romanorum Constitutiones postea editae sunt, sed in corpus Iuris nondum fuerunt collectae.

126. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quaenam sint Romanae Congregationes, earumque officia varia?*

Resp. Enumerantur sequentes: Congregatio Concilii, Congregatio Episcoporum et Regularium, Congregatio de Propaganda Fide, Congregatio sacrorum Rituum, Congregatio Indicis, Congregatio S. Officii, Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, Congregatio Immunitatis.

1^o *Congregatio Concilii* (Tridentini) seu *Cardinalium*. Tota constat ex Cardinalibus, qui *Patres S. Concilii Tridentini interpretes* dicuntur, et quorum unus titulo *Praefecti Congregationis* insignitur. Pius IV. pro Concilii Trid. observantia hanc primum instituerat; postea vero, rerum exigentiis motus Sixtus V. decreta Concilii, in iis quae ad morum aut disciplinae reformationem pertinent, et dubia videntur, etiam interpretandi potestate donavit.

2^o *Congregatio Episcoporum et Regularium*. Tota et ipsa ex Cardinalibus coalescit. Duo, ut nomen indicat, suscipit tractanda: ea nempe quae respiciunt bonam dioeceseon totius orbis catholici administrationem, et quae ad Regularium utriusque sexus controversias, litesve, secundum sacros Canones, cognoscendas et dirimendas pertinent.

3^o *Congregatio de Propaganda Fide*. Ex solis Cardinalibus conflatur,